

dictis dominis assistatis, prout per eosdem fueritis requisiti sicut gratiam nostram diligitis inoffensam, Datum Anno domini M°. CCC°III°. jn vigilia apostolorum petri et pauli.

Sigillen bortfallna; remsorna kvar.

1402.

1303 d. 13 Juli.

PETER RAGVALDSONS Intyg att Bengt Ingvarsson Puke vid sitt inträde i Eskilstuna med sig dit ingifvit nära ett markland jord i Tunnesta gård.

A. 3. 1.

Omnibus christi fidelibus presentes litteras inspecturis uel auditoris, PETRUS RANGWALDSSON, salutem in eo qui est vera salus, Tenore presencium protestamur, et constare volumus tam posteris quam modernis, Benedictum ingwari filium dicti pukæ domui et fratribus beati johannis baptiste in æskilstunum, vnam marcham terre solido minus in tunnestum cum agris pratis pascuis piscacionibus et siluis cum omnibus prope vel longe infra sepes vel extra adiacentibus omnium heredum suorum legitimorum adhibita voluntate et tenore legum reseruato, vna secum contulisse iure perpetuo possidendam, Ne igitur super premissa donacione cassacio aliqua seu calumpnia ab aliquibus in posterum valeat suboriri Sigillum nostrum vna cum sigillis aliorum discretorum qui fuerunt fastær nobiscum ad donacionem predictam videlicet domini haquini prepositi arosiensis, Domini holmwidi elefson, holmberni legiferi, laurencij alamanni, et olaui gýsmundæson presentibus duximus apponendum Item fastæ, frøbernus de wiby, annæ de ængiby, Jngimundus karlsson, gudmundus de granestum et Narwi fastæsson Nicholaus iudex nominauit premissos in communi placito arosie, Datum et actum anno domini, M°. CCC°. III°. tercio ydus iulii.

Sigillet N:o 2 skadadt; N:o 1, 3—6, bortfallna, remsorna kvar.

1403.

1303 d. 29 Juli.

Alsnö.

Marsken THORKEL KNUTSSONS Bref om utbyte af dess gods Öna i Dalarne, Hjortatorp, Aghastad, Norberg och dess andel i Jern- och Stål-berget, samt Östby i Westmanland, Husaby, Ödmarke och Skira i Nerike samt qvarnar i Thorshälla till K. Birger emot hela den så kallade Konungs-lotten, inom Linköpings och Wexiö stift, samt Tuna i Tjust och en egendom i Östergötland.

L. g. 7: 315.

Omnibus presentes literas inspecturis, Thyrgillus Knutsson, Marscalcus Domini Regis Sweorum illustris, Salutem in Domino sempiternam. Tenore

presentium constare volumus evidenter, Nos cum Magnifico Principe ac Domino nostro, Domino B. Dei gratia Sueorum Gothorumque Rege, fecisse prediorum et possessionum commutationem in hunc modum, videlicet quod nos eidem Domino nostro Regi et suis heredibus dimisimus et assignavimus curias nostras et possessiones infrascriptas, scilicet insulam et curiam Oena dictam in Dalum, cum omnibus attinentiis suis, nec non et Hiortæthorp, cum omnibus pertinentibus ad eandem, totalemque possessionem nostram in Aghastadhumb, cum piscatura in torrente ibidem, item Norobergh, et quicquid ibidem possedimus in monte ferri et calibis, ac omnia quæ possedimus in Dalum, tempore quo presentes emanabant. Item curiam Oestby sitam in Vestmannia, quam habuimus de Domino Aberno Dapifero. Item Husaby, Oedmarchi et Skyraoos in Niericia, ac molendina in Rytlu juxta Grenna. Item Molendina in Thorsharghe, duo videlicet que nobis Dominus Ulpho Karlsson bone memorie contulit, et unum quod nobis dedit Reverendus Pater Dominus Ysarus Episcopus Strengnensis, perpetuo et irreuocabiler possidenda. Ipse vero Dominus noster Rex, ratione recompensationis pro predictis bonis et possessionibus, dimiserat et assignaverat nobis et nostris heredibus totalem partem de communibus prediis in Diocesibus Lincopensi et Wexionensi sitis, sibi attinentem, vulgariter dictam Kunungslut, nec non et curiam suam Tuna in Thyust, et possessionem Bry . . . . . in Oestgotia, cum singulis earum attinentiis, que quidem curia et possessio de prefata tertia parte communium prediorum dinoscuntur derivate. Hoc adjecto, quod ubicunque compertum fuerit, quod aliqua pars de prediis supradictis, communibus scilicet, nobis dimissis, rite et amicabiliter diuisa et distincta fuerit, ac nomini Regio taliter assignata, siue culta sit, siue inculta, videlicet in curiis, coloniis, agris, pratis, pascuis, siluis, piscariis, molendinis, vel molendinorum locis, infra sepes et extra, ipsa pars ad nos et nostros heredes pertineat, diminutione qualibet pretermissa. Si autem aliquid de tertia parte predicta possessionum per commutationem inventum fuerit dimissum pro aliis equivalentibus bonis, ita quod de hoc gerimus nos contentos, huiusmodi commutatio rata maneat atque firma. Si vero secus factum fuerit, ipse Dominus noster Rex nobis facultatem liberam dedit et commisit, taliter dimissum vel reuocandi et reassumendi, vel etiam satisfactionem plenariam, prout iustum est, petendi pariter et acqvirendi. Preterea voluit idem Dominus noster Rex, ut quicquid de parte predicta prediorum per commutationem vel venditionem factam forsitan per progenitores ipsius, vel alio quocumque modo, fuerit alienatum vel distractum, retroactis temporibus quantumcunque antiquis, hoc integraliter ad nos deuoluatur, ita quod nichil penitus sit exceptum, quin totum nobis cedat, quod in premissis suo nomini dinoscitur attinuisse, prout in literis suis super hiis confectis plene patet. Hanc igitur bo-

norum et possessionum commutationem, inter ipsum Dominum nostrum Regem et nos rite et legitime factam, tam ratam et irrevocabilem habere volumus ex utraque parte, quod neque per eundem Dominum nostrum Regem, neque per nos vel heredes nostros aut suos revocari valeat, aut aliquatenus irritari. Hoc etiam adjecto, quod si quid in bonis, prediis vel possessionibus predictis, que nos ipsi Domino nostro Regi dimisimus et assignavimus, impetum vel calumpniose fuerit impeditum, ita quod hoc diebus nostris sibi non poterimus appropriare, vel de prediis nostris aliis sufficienter refundere, heredes nostros ad hoc faciendum esse volumus obligatos. Similiter et ipse Dominus noster Rex tenebitur ad tantum nobis vel heredibus nostris refundendum, sicut de predictis possessionibus aut prediis nobis per ipsum assignatis impetum fuerit vel impeditum, quod si diebus suis factum non fuerit, successor suus, qui post eum regni regimen susceperit, hoc idem nomine suo tenebitur adimplere. In premissorum igitur omnium robur et eidentiam plenioram, una cum Sigillis Nobilium Dominorum Erici Sueorum et Waldemari Finlandie diuina providentia Ducum, ac aliorum discretorum de consilio ipsius Domini nostri Regis Sweorum illustris, Sigillum nostrum presentibus est appensum. Datum Alsnu Anno Domini Millesimo CCC.III. quarto Kal. Augusti.

1404.

1303 d. 1 Aug.

Linköping.

LINKÖPINGS BORGERSKAPS Intyg att Kyrkoherden Finvid i Hæleby nu till Biskopen öfverlemnar sin förut till Linköpings domkyrka afstådda rättighet i Lindehult med lös och fast, med förbehåll endast af kommande årets afkastning.

E. 79: 118.

Omnibus presentes litteras inspecturis, VNIVERSITAS CIVIUM LINCOPENSIVM, salutem in Domino, Constare volumus eidenter, quod Dominus Finvidus rector ecclesie de Hæleby in nostra presentia constitutus, recognovit et confessus est, quod tempore venerabilis patris Episcopi Henrici, felicis recordationis, quicquid juris habuit in Lyndæhult cum omnibus bonis mobilibus et immobilibus, ad eandem curiam pertinentibus, ob anime sue remedium contulit liberaliter et mere sedi lincopensis ecclesie ab eo qui eidem sedi pre-fuit, perpetuo possidendum. Cum autem idem dominus F. dictam curiam, usque ad hec tempora pro usibus suis retinuerit, eandem ex nunc, cum omnibus bonis ut superius est expressum, fructibus duntaxat anni instantis exceptis libere . . . . . in manus domini Episcopi Lincopensis. Ad horum autem eidentiam plenioram, sepedictus dominus F. presentes Litteras sigillo civitatis dicte petiit communiri, datum et actum Lincopie, Anno Domini millesimo CCC.III. ad vincula sancti Petri.

1405.